



## SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

---

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>

[joannescarlosrossi@fastwebnet.it](mailto:joannescarlosrossi@fastwebnet.it)

[luca.gandolfi1@studenti.unimi.it](mailto:luca.gandolfi1@studenti.unimi.it)

---

**Ordo rerum  
in annos MMXIV et MMXV  
a sodalibus latinis  
in Venerandis Aedibus Ambrosianis  
agendarum**

---

**Ante diem V Kalendas Decembres**

---

- Ex Titi Livii *Historiarum libro primo* locum de Albae excidio ruinisque praelegimus
- Disputamus de adagiis *Vulpes haud corrumpitur muneribus* et *Gloriosum et apud posteros*

*Sodales his locis adhibitis exercentur juxta artis rhetoricae praecepta: per synonymiam, paraphrasim, ampliationem, compendium, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.*

---

## T i t u s L i v i u s

Titum Livium Patavii natum plerique arbitrantur anno Urbis conditae sexcentesimo, quinto et nonagesimo. Hic ambitione vacuus, et futurae aetatis immortalitatem potius quam praesentem gloriam spectans, ad rempublicam numquam accessit, seque totum in litteris abdidit. Antiquitatis autem cognoscendae cupidissimus, ad historiam potissimum ferebatur. Quapropter quum magnum illud opus animo agitaret, rerum videlicet principis terrarum populi perscribendarum, in urbem se contulit, sperans se plura et certiora monumenta inventurum. Quo anno Romam venerit parum liquet; venisse tamen constat sub initium imperii Augustei. Itaque quum diu vixisset in urbe terrarum domina, summisque viris, omni eruditione ornatis, maxime affluentibus, nullum ei defuisse adiumentum videtur ad ingenium omni genere doctrinae excolendum. Historiam Romanam exorsus inter actiacum et cantabricum bellum, anno ferme Urbis conditae DCCXXIV, eam vulgavit vivo adhuc Caesare Augusto. Post huius excessum in patriam rediit, ubi a civibus honorificentissime exceptus obiit, imperante Tiberio, quum esset annos natus sex et septuaginta.

(E Thomae Vallaurii Litterarum latinarum historia)<sup>1</sup>

Titus Livius anno undesexagesimo a. C. n. natus est Patavii, quae civitas a fabuloso quodam Troiano viro, non secus atque urbs Roma, se conditam gloriabatur et municipalem illam morum integritatem ita servabat, ut in proverbii consuetudinem veniret. Qua ex civitate, morum majorum perstudiosa optimatumque faultrice, ille a prima aetate cum patriae amantissimus, tum summa religione praeditus et infinita quadam cogitandi ratione a rebus temporibusque sejuncta, a rebus novis alienissimus exstitit. De ejus vitae rebus pauca admodum prodita sunt, fortasse quod nihil ei accidit memoria dignum. Quamquam ad rem publicam non ac-

---

<sup>1</sup> Thomae Vallaurii *Historia critica litterarum Latinarum*, Augustae Taurinorum, ex Officina regia, MDCCCL.

cessit, tamen diu Romae aetatem egit, ubi in Augusti familiaritate versatus est, qui magni eum fecit atque ut benigne faceteque ei obiceret, quod Pompejum in bellis civilibus enarrandis laudibus extulisset, Pompejanum solebat appellare. Apud Augustum etsi praeceptoris munere functus non est, tamen honorifice hospitio receptus consiliorum particeps fuit, siquidem eo probante Claudius adolescens, nepos principis adoptivus et postea ipse princeps, in historia scribenda elaboravit. Primum operam rhetorum ac philosophorum studiis dedit. Item de rhetorica scripsit.

(Edmundus d'Arbela locum Concepti Marchesi ita pereleganter interpretatus est)<sup>2</sup>

---

---

<sup>2</sup> Concetto Marchesi, *Storia della letteratura latina*, Principato, 1933.

## **Titi Livi *Ab Urbe condita* liber I**

[29] Inter haec iam praemissi Albam erant equites qui multitudinem traderent Romam. Legiones deinde ductae ad diruendam urbem. Quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille nec pavor qualis captarum esse urbium solet, cum effractis portis stratisve ariete muris aut arce vi capta clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet, sed silentium triste ac tacita maestitia ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas ultimum illud visuri pervagarentur. Ut vero iam equitum clamor exire iubentium instabat, iam fragor tectorum quae diruebantur ultimis urbis partibus audiebatur pulvisque ex distantibus locis ortus velut nube inducta omnia impleverat, raptim quibus quisque poterat elatis, cum larem ac penates tectaque in quibus natus quisque educatusque esset relinquentes exirent, iam continens agmen migrantium impleverat vias, et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur mulierum, praecipue cum obsessa ab armatis templa augusta praeterirent ac velut captos relinquerent deos. Egressis urbe Albanis Romanus passim publica privataque omnia tecta adaequat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus quibus Alba steterat excidio ac ruinis dedit. Templis tamen deum -- ita enim edictum ab rege fuerat -- temperatum est.

## Vulpes haud corrumpitur muneribus

Ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται, id est Vulpes non corrumpitur muneribus. Suidas<sup>3</sup> huius adagii Cratinum<sup>4</sup> citat auctorem. De callidis<sup>5</sup> ac versutis,<sup>6</sup> quos haud facile sit objecto munusculo aut assentatiuncula pollicitisve fallere. Larus<sup>7</sup> enim et aliae quaedam aves esca capiuntur, vulpes non item. Verbum autem δωροδοκεῖν sumptum est a concionibus aut iudiciis, in quibus nonnulli pecunia corrupti dicunt sententiam.

---

<sup>3</sup> **Suida(s)** seu **Suda**, lexicon encyclopaedicum saeculo X graece compositum, triginta milia lemmatum, in litteram, seu alphabetice, digestorum continet. Fontes antiquitatis Graecae repetens, opera colligit, jam deperdita, complures tractantia disciplinas: geographiam, historiam, litteras, philosophiam, scientiam, grammaticam, consuetudines. Quid sibi velit nomen Suida eruditi explicare non valuerunt.

<sup>4</sup> Cratinus Atheniensis, poeta comicus qui inter saeculum VI et V a.Chr.n. floruit, una cum Eupoli et Aristophane satyrarum parens habetur. Vide Horatii sermonem (I, 4):

*Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae  
atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,  
siquis erat dignus describi, quod malus ac fur,  
quod moechus foret aut sicarius aut alioqui  
famosus, multa cum libertate notabant.*

<sup>5</sup> **Callidus, a, um** proprie ille est qui propter usum callum obuxit; ut saepe fit, in bonam et malam partem accipi potest: plerumque enim callidus est peritus, dexter, prudens, sagax, si refertur hominibus: verbi gratia callidus rei militaris, callidus in disputando; sin autem rebus refertur, veluti ciceronianum (*Tusc.* I, 47) callidissimum artificium, significat bene inventum, repertum sagaciter, prudenter excogitatum. Sed, praesertim quum conjungitur cum aliis epithetis, fit astutus, versutus, veterator: verbi gratia callidus ad fraudem.

<sup>6</sup> **Versutus, a, um** conjungitur cum verbo vertendi; sic Livius Andronicus homerikum πολύτροπον est interpretatus. In Cicerone (*De natura deorum*, III, 10, 25) invenitur «homo versutus et callidus – versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur etc.».

<sup>7</sup> **Larus, i:** italice “gabbiano”.

*Chiliadis tertiae centuria IX: 2826*

## **Gloriosum et apud posteros**

Cum facinus significabimus, cuius famam et posteritas celebratura videatur, quadrabit illud ex eodem libro:<sup>8</sup> Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, id est *Imo facinus insigne peregit, Ipsa etiam quod posteritas exaudiat.*

Scriptum Mediolani a.d IX Kal. Dec. Anno MMXV

---

<sup>8</sup> *Iliados liber XXII, 25*; de quo libro superius Erasmus mentionem fecerat in adagio 2825 *Quoad vixero* explicando.